

Monstratur ille ager hodie in Ælia ad Australem plagam, montis Sion. Hieronymus de loc. Hebraicis. Vid. etiam Harmon. Evang. p. 1854. \*(Qualis vero ager iste fuerit, exprimit Æthiops vertens h. l. [azdawain] i. e. agrum vini seu vinetum.)\*

v. 20. Pugnare secum invicem videntur *habitatione deserta* & *suc-  
cessio*. Si enim alter in locum prædecessoris succedit, quomodo habita-  
tio eius manet deserta? Resp. priore loco Spiritus Sanctus ipsum Judam  
respicit, quod, quantum ad ipsius personam attinet, locus vacuus & sine  
habitatione relinquendus sit, id vero nihil impedit, quin alienus succes-  
sor postea locum desertum occupet. Commoratio pro gradu Apostola-  
tus est intelligenda: quæ dicitur *deserta*, quia nullus eam occupavit, quem  
Judas in Christo genuisset. Beda h. l. *Non sit, qui inhabitet in ea, scilicet  
donec alius pro eo assumatur, vel non sit ipse Judas, qui in ea habitet, sed a-  
lius pro eo assumatur.* Gloss. ord. *Judas abiens in gebennam, humana con-  
versationis habitationem deseruit.* Liranus generaliter accipit de *pæna  
Sacerdotum mortem Christi procurantium, qui per Romanos partim interfecti,  
partim captivati.* Per *habitationem* quidam intelligunt corpus Judæ, quod  
fuit quasi habitaculum animæ damnatæ, quæ in illo Judæ suspendio ad in-  
fernales sedes profecta corporis habitaculum reliquit vacuum.

Cæterum quod David in genere minatur Ecclesiæ hostibus, illud  
Petrus in specie ad Judam accommodat, qui est caput & dux ipsorum.  
Toss. h. l. \*(Locus vero, ad quem S. Petrus respicit, habetur Ps. 69,  
23. Ps. 109, 8.)\*

v. 21. Familiaris Christi in diebus carnis suæ cum Apostolis con-  
versatio pulcerrime exprimitur phrasi *ingressus & egressus*. *Intrare & ex-  
ire* 1. notant communem vitæ consuetudinem & socialem hominum  
conversationem. Num. 27. Deut. 31. 2. Paral. 1. 1. Reg. 18. Sic Christus  
*habitatus est inventus ut homo*, Phil. 2. v. 7. 2. Regimen & præfecturam 2. Pa-  
ral. 1. v. 10. (*Ingradi & egredi* phrasi Hebraica est publico munere fungi,  
Deut. 31. v. 1. 2. Paral. 1. v. 10.) ita Christus fuit Magister ac Dominus di-  
scipulorum. Ioh. 13. v. 13. 3. Familiarem inter notos & caros habitatio-  
nem. Quemadmodum paterfamilias inter suos ingreditur & egreditur:  
ita Christus cum Apostolis familiarissime vixit. 4. Securitatem periculi  
expertem, Ioh. 10. v. 9. *Si quis per me intraverit, ingredietur & egredie-  
tur*: ita Christus cum Apostolis conversatus ab omnibus periculis illos  
protexit.

v. 22. Quæritur: *Quare solius resurrectionis fiat mentio, cum Apostoli et-*